



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense**

**Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>**

**Coloniæ Agrippinæ**

Ritus absolvendi excommunicatum, jam mortuum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41233**

*quispiam excommunicatus, omnes in absolutione sunt exprimenda; alioquin à solis expressis censebitur absolutus.*

**Ritus absolvendi excommunicatum,  
jam mortuum.**

**S***I quis excommunicatus, ex hac vita decedens, dederit signum contritionis; ne Ecclesiastica careat sepultura, sed Ecclesie suffragiis, quatenus fieri potest, adjuvetur; absolvi potest hoc modo.*

*Si corpus nondum sepultum fuerit, verberetur & absolvatur, ut infra; deinde, absolutum, in loco sacro sepeliatur.*

*Si verò fuerit sepultum in loco profano, & commode fieri poterit, exhumabitur, & eodem modo verberabitur, & post absolutionem in loco sacro sepelietur; sed, si commode exhumari non potest, locus sepulture verberetur; postea absolvatur.*

*Quod si in loco sacro sit sepultus, non exhumabitur, sed verberabitur sepulchrum. Dum autem corpus, si ve sepulturam, verberat Sacerdos, dicat Antiph. Exultabunt Domino ossa humiliata. Psal. Misere mei Deus, &c. Quo facto, absolvatur, dicendo: Autoritate mihi concessa, ego te absolvo à vinculo excommunicationis, quam incurristi (vel incurrisse declaratus es) propter tale factum, & restituo te communioni fidelium, in nomine Patris ✠, &*

Filii, & Spiritus sancti, Amen. *Deinde dicatur Psalmus, De profundis. in fine, Requiem æternam dona ei Domine. Resp. Et lux perpetua luceat ei. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. &c. Vers. Et ne nos inducas in tentationem. Resp. Sed libera nos à malo. Vers. A porta inferi. Resp. Erue Domine animam ejus. Vers. Requiescat in pace. Resp. Amen. Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

**D**A, quæsumus Domine, animæ famuli tui, quem excommunicationis sententia constrinxerat, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, & superni luminis claritatem. Per Christum Dominum nostrum. *Resp. Amen.*

De modo absolvendi à Suspensione, vel ab Interdicto, extra vel intra Sacramentalem Confessionem.

**S**I Sacerdoti sit commissa facultas absolvendi aliquem à Suspensione, vel Interdicto, quamvis nulla verba sint præcipue determinata, uti poterit hac formula.

Pæni-